



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi  
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1617**

Qvæstio VIII. De gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ, in octo  
articulos diuisa

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)



fuisse plenū vt fontē, Mariā vt aquē ductū, alios vt riuulos, & ad hoc solet accōmodari illud Pl 13. Sicut ynguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius; hoc enim ynguentum gratiam significare satis in superioribus ostensum est. Vnde multa ex testimonijs adductis hoc confirmant, præcipuē illud, Vidimus gloriam eius, gloriam quasi yngentū à Patre: & illud ad Colof. 2. In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, verē, vt Theodoret. & Anselm. exponunt. De quoloſo videri etiam potest Augustinus epist. 57. Hinc Bonauen. in 3. d. 13. q. 2. ait, gratiam Christi incomparabiliter excedere gratias aliorum. Altiſiod. vero lib. 3. summ. titul. 1. cap. 5. ait, excedere super omnem proportionem. De hac vero re dicit latior sermo cum sequente tomo similem questionem de gratia Virginis disputabimus.

Obiisio.

Responsio.

Sed quæres secundo, an quod dictum est de intentione gratiæ, intelligendum etiam sit de donis & virtutibus, quæ illam comitantur. Respondetur idē omnino esse de illis sentiendum, est enim eadem ratio de illis omnibus, cum sint eiusdem ordinis, & gratiam ipsam comitentur quodammodo vt proprietates, vel facultates illi proportionatę, vnde cū in Christo sint omnia hæc dona supernaturalia in summa propor. ione, sicut gratia est summa; ita & charitas, & reliquæ virtutes omnes.

## QVÆSTIO. VIII.

De gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ, in octo articulos diuisa.



Emde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ.

Et circa hoc queruntur octo.

Primo, vtrum Christus sit caput Ecclesiæ.

Secundo, vtrum sit caput hominum,

quantum ad corpora: vel solum quantum ad animas.

Tertio, vtrum sit caput omnium hominum.

Quarto, vtrum sit caput Angelorum.

Quinto, vtrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali eius secundum quod est quidam homo singularis.

Sexto, vtrum esse caput Ecclesiæ, sit proprium Christo.

Septimo, vtrum diabolus sit caput omnium malorum.

Octauo, vtrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

Disputauit D. Thom. de gratia Christi, prout est formalis perfectio eius, nunc de illa tractat, prout est principium gratificandi alios, & quoniam hæc efficacia conuenit Christo quatenus est caput Ecclesiæ; ideo duo D. Thom. inquit in hac questione. Primum est, an hac dignitas capitis conueniat Christo, & quoniam caput dicitur respectum ad membra; simul inquit quorum sit caput. Secundum est, quæ sit gratia, per quam influit, seu operatur vt caput, hæc enim propriè gratia capitis dicitur.

## ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit caput Ecclesiæ.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Christo secundum quod est homo, non competat esse caput Ecclesiæ. Caput enim influit sensum, & motum in membra. Sensus autem, & motus spiritualis, qui est per gratiam, non influit nobis à Christo homine: quia sicut Augustinus dicit in lib. de Trin. \* nec etiam Christus, secundum Fr. Suarez, Tom. 1.

A quod est homo, dat Spiritum sanctum, sed solum in quantum est Deus. Ergo ei, secundum quod est homo, non competit esse caput Ecclesiæ.

2. Præterea, Caput non videtur esse aliud caput: Sed Christi, secundum quod est homo, est caput Deus: secundum illud prime ad Corinth. 11. Caput Christi Deus. Ergo ipse Christus non est caput.

3. Præterea, Caput in homine est quoddam particulare membrum influentiam recipiens à corde: Sed Christus est vniuersale principium totius Ecclesiæ. Ergo non est Ecclesiæ caput.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1. Ipsam dedit caput supra omnem Ecclesiæ.

b Respondeo dicendum, quod sicut tota Ecclesiæ dicitur vniuersum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diuersa membra habet diuersos actus (vt Apostolus docet Romanorum 12. & 1. ad Corinthios 12.) ita Christus dicitur caput Ecclesiæ, secundum similitudinem humani capitis. In quo tria possumus considerare, scilicet, ordinem, perfectionem, & virtutem. Ordinem quidem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo à superiori. Et inde est, quod omne principium consuevit vocare caput, secundum illud Ezechiel. 16. Ad omne caput via adificasti signum prostitutionis tue: Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus & interiores & exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus: & inde est quod dicitur Isai 9. Senex & longæuius ipse est caput. Virtutem vero, quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus, est à capite, propter vim sensitiuam & motiuam ibi dominantem: vnde & rector dicitur caput populi, secundum illud 1. Reg. 15. Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum propinquitatem ad Deum gratia eius altior est, & prior, et si non tempore: quia omnes alij receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius: secundum illud Romanorum 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundo vero perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum: secundum illud Ioannis primo. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis: vt etiam supra ostensum est. 9. præced. artic. 9.

D est \*, Tertio virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: secundum illud Ioannis 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, et sic patet, quod Christus conuenienter dicitur Ecclesiæ caput.

c Ad primum ergo dicendum, quod dare gratiam aut Spiritum sanctum conuenit Christo secundum quod Deus, autoritativè: sed instrumentaliter conuenit etiam ei, secundum quod homo, in quantum scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius. Et ita actiones ipsius ex virtute diuinitatis fuerunt salutifera: vt pote gratiam in nobis causantes, & per meritum & per efficientiam quantumdam Augustinus. \* autem negat Christum, secundum quod homo est, dare Spiritum sanctum per autoritatem: instrumentaliter autem, siue ministerialiter etiam alij Sancti dicuntur dare Spiritum sanctum: secundum illud Galat. 3. Qui tribuit vobis Spiritum, &c.

Ad secundum dicendum, quod in metaphoris locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Capitis igitur naturalis non est caput aliud, quia corpus humanum non est pars alterius corporis: sed corpus similitudinariè dictum, id est, aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica est pars multitudinis ciuili: & ideo pater familias, qui est caput multitudinis domesticæ, habet supra se caput, rectorem ciuitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, caput Christi esse Deum: cum tamen ipse Christus sit caput Ecclesiæ.



*Verum Christus sit caput hominum, quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas.*

**A**d secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non sit caput hominum, quod ad corpora: Christus enim dicitur caput Ecclesie, in quantum insuit spirituales sensus & motus gratie in ecclesiam. Sed huius spiritualis sensus & motus capax non est corpus, ergo Christus non est caput hominum secundum corpora.

2. Præterea, secundum corpora communicamus cum brutis. Si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur quod etiam esset caput brutorum animalium: quod est inconueniens.

3. Præterea, Christus corpus suum ab alijs hominibus traxit: ut patet Matth. 1. & Luc. 3. Sed caput est primum inter cetera membra, ut dictum est: ergo Christus non est caput Ecclesie quantum ad corpora.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 3. Reformauit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis sue.

**R**espondeo dicendum, quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria forma eius & motor. Et in quantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam & ceteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem: in quantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentum taliter seruit animæ.

Sic ergo dicendum est, quod habet vim influendi humanitas Christi, in quantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam, ut supra dictum est.

Vnde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam & corpus insuit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus: sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus. Vno modo in quantum membra corporis exhibentur arma insuita in anima existenti per Christum, ut Apostolus dicit Rom.

6. Alio modo in quantum vita gloria ab anima derivatur ad corpus, secundum illud Roman. 8. Qui suscitauit Christum Iesum a mortuis uiuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

**A**d primum ergo dicendum, quod sensus spiritualis gratia non peruenit quidem ad corpus primo & principaliter: sed secundario & instrumentaliter, ut dictum est.

**A**d secundum, dicendum quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem: sicut habet corpus humanum. Et ideo non est simile.

**A**d tertium dicendum, quod licet Christus traxerit materiam corporis ab alijs hominibus: vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso, secundum illud 1. ad Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificantur.

## COMMENTARIVS.

**S**ensus huius questionis iuxta dicta in precedenti articulo est, an Christus ut autor gratiæ aliquid insuat in corpora nostra.

**R**espondeo affirmando; nam quamdiu hic uiuimus insuit virtutē, & auxiliū, ut corpora nostra iustitię organa efficiantur, & ut non solū cor, sed etiā caro in ipsum exulcet, ut sic facilius, & virtutē opere tur, & passionēs, vel crucem sustineat, deniq; omnia bona corporis quæ sunt media utilia ad salutem æternam propter Christum dantur, & ad hunc influxum pertinent, in futura autem vita insuet corporum resurrectionem, & vitam immortalem, & alias dotes corporis gloriosæ, est ergo Christus caput etiam corporum, quamuis secundario quia bona gratiæ, quibus corpus est capax, secundaria sunt, & minus principalia in illo ordine. Vnde etiā sit Christus

secun-

## COMMENTARIVS.

**Q**uoniam hæc capituli appellatio metaphorica est, non potest propriè de ea disputari, nisi prius cōsideretur quid per illam metaphoram significetur & ideo merito Diuus Thomas in hoc articulo ad tres condiciones reducit rationem capituli, in quibus hoc caput mysticum naturale caput imitatur, scilicet ut sit aliquo modo primum in ordine, & excedat perfectione, & in alia membra insuat: querere ergo an Christus sit caput, nihil aliud est quam querere, an habeat has tres condiciones, & præcipua difficultas est de tertia, in qua illa est quæ præcipuè attenditur in capite præsertim mystico seu morali: tum etiam quia de alijs duabus conditionibus satis ex superioribus constat, eas in Christo reperiri. Quid vero nomine Ecclesiæ in hoc titulo D. Thom. intelligat nō satis manifestum est, an scilicet intelligat solam Ecclesiam militantem in hominibus, an verò simpliciter totam Ecclesiam, ut ex Angelis & hominibus constat, & partim militat, partim triumphat: doctrina enim articuli in utroque sensu vera est, & ad utrumque accommodari posse videtur, si tamen D. Thom. attentè legatur in hoc, & sequentibus articulis non obscure intelligi poterit, eum de Ecclesia in posteriori sensu fuisse locutum, ex hoc enim principio hic stabilito, scilicet, quod Christus est caput Ecclesiæ, insert in sequentibus esse caput hominum & Angelorum, ut expresse videri potest in articulo quarto, & hoc modo loquitur Paulus de Ecclesia loco hic citato in argumento. Sed contra est, ad Ephes. 1. cum inquit, Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, præmiserat enim Christum esse constitutum supra omnes principatus, &c.

**E**xplicato titulo, responso est facilis, Christum scilicet esse caput totius Ecclesiæ, cuius assertionis probatio in articulo clara est. Solum in prima conditione aduertere oportet, quod Diuus Thomas ait gratiam Christi esse priorem non tempore, sed secundum propinquitatem ad Deum, per quam propinquitatem non videtur intelligere specialem coniunctionem per gratiam vniōis, sed prioritatem in ordine intentionis, quia scilicet gratia Christi in mente, & intentione diuina fuit prior, hoc enim probat ratio, quam statim subdit, quia omnes alij nimirum Angeli & homines (iuxta expositionem datam) receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius. Vnde sic etiam tertiam conditionem, scilicet, quod habeat virtutem influendi in omnia membra Ecclesiæ, eodem modo esse intelligendam, quanquam testimonia, quibus Diuus Thomas utitur, de solis hominibus sufficienter exponi posse videantur, scilicet ad Romanos octauo. Quos præsciuit & prædestinauit. & Ioannis primo. De plenitudine eius omnes accepimus. Sed primum testimonium Diuus Thom. intelligere videtur de omnibus prædestinatis, in posteriori vero intelligi potest, Ioannem loqui nō ut hominem tantum, sed ut membrum Ecclesiæ, quæ tota ex plenitudine Christi sanctificatur.

**D**e solutione ad primum dicendum est late infra questione 13. & questione 62. quomodo scilicet Christus vel per humanitatem suam, vel per sacramenta gratiam insuat.

Quid D. Tho. nomine Ecclesiæ intelligat in hoc articulo.



secundum corpus suum habere rationem capitis, quia per corpus suum nos redemit, & sanguine suo nos lauit, & in statu gloriae per corpus suum beatificabit corpora nostra, & per modum efficientis, & per modum obiecti, non est tamen necesse, ut semper, per actionem corporis influat in corpora, & per actionem animae in animas, nam etiam per actionem corporis potest influere in animam, & per actum animae in corpus, quod quidem de influxu morali manifestum est, nam per passionem corporis satisfacit & liberauit animas a pena, & per actus animae meruit ipsis corporibus gloriam. De influxu vero physico dicitur infra q. 13. & haec videntur sufficere ad huius articuli expositionem.

## ARTICVLVS III.

*Verum Christus sit caput omnium hominum.*

**A**d tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non sit caput omnium hominum, caput enim non habet relationem, nisi ad membra sui corporis. Infideles autem nullo modo sunt membra Ecclesiae, quae est corpus Christi, ut dicitur Ephes. 1. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

2. Præterea, Apostolus dicit ad Ephes. 5. Quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut ipse exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Sed multi sunt etiam fideles in quibus inuenitur macula aut ruga peccati. Ergo nec etiam omnium fidelium Christus est caput.

3. Præterea, Sacramenta veteris legis comparantur ad Christum, sicut umbra ad corpus: ut dicitur Colo. 2. Sed Patres veteris Testamenti sacramentis illis suo tempore seruiebant: secundum illud Hebræor. 8. Qui exemplari & umbra deseruiunt celestium. Non ergo pertinebant ad corpus Christi, & ita Christus non est caput omnium hominum.

Sed contra est quod dicitur 1. Timoth. 4. Est Saluator omnium hominum, & maxime fidelium. Et 1. Ioannis 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum: sed etiam pro totius mundi. Saluare autem homines, & propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo secundum quod est caput. Ergo Christus est caput omnium hominum.

**a** Respondet dicendum, quod hac est differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Ecclesiae mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neque quantum ad esse natura, quia corpus Ecclesiae constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius. Neque etiam quantum ad esse gratia: quia eorum etiam, qui sunt in vno tempore, quidam gratia carent, postmodum habituri, alij eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici accipiuntur, non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia. Quaedam tamen sunt in potentia, quae nunquam reducuntur ad actum. Quaedam vero sunt, quae, quandoque reducuntur ad actum. Et hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus per charitatem via, tertius per fruitionem patrie. Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum: sed secundum diuersos gradus. Primum enim & principaliter est caput eorum qui actu vniuntur sibi per gloriam: secundo, eorum qui actu vniuntur sibi per charitatem: tertio eorum qui actu vniuntur sibi per fidem: quarto vero eorum, qui sibi vniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum diuinae praedestinationem: quinto vero eorum qui in poten-

Fr. Suarez, Tom. II.

**A**ctus sunt sibi vniiti, quae nunquam reducuntur ad actum: sicut homines in hoc mundo viuentes, qui non sunt praedestinati, qui tamen ex hoc seculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam nec sunt in potentia, ut Christo vniantur.

**A**d primum ergo dicendum, quod illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quae quidem potentia in duobus fundatur. Primum quidem & principaliter in virtute Christi, quae est sufficiens ad salutem totius humani generis: secundario in arbitrij libertate.

**A**d secundum dicendum, quod esse Ecclesiam gloriosam non habentem maculam neque rugam, est vltimus finis, ad quem perducimur per Passionem. Vnde hoc erit in statu patrie, non autem in statu via: in quo si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, ut dicitur prima Ioannis primo. Sunt tamen quaedam scilicet mortalia, quibus carent illi, qui sunt membra Christi per actualem vniionem charitatis. Qui vero his subducitur peccatis, non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi forte, imperfecte, per fidem informem: quae vnit Christo secundum quid, & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur, vitam gratiae. Fides enim sine operibus mortua est, ut dicitur Iacob. 2. Percipiunt tamen tales a Christo quandam actum vitae, qui est credere: sicut si membrum mortificatum moueatur aliquantulum ab homine.

**A**d tertium dicendum, quod Sancti Patres non insisterant sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus & ymbribus futurorum. Idem autem est motus in imaginem, in quantum est imago, & in rem, ut patet per Philosophum in libro de Memo. & remi. \* Et ideo antiqui Patres seruando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem & dilectionem eandem, quae & nos ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae, ad quod nos pertinemus.

## COMMENTARIVS.

**D**istinguit Diuus Thomas omnes homines, qui a principio mundi usque ad finem futuri sunt, in tres ordines, beatorum, viatorum, & damnatorum.

**E**t respondet, Christum esse caput beatorum, & viatorum omnium in quocunque statu sint, non tamen damnatorum. Caietan. beatorum nomine comprehendit prout antiquos Patres, qui in sinu Abrahamae existerant. Sed melius eos intelligimus sub nomine viatorum, quia per fidem adhuc ambulabant, & temporalem poenam damni, seu carentiam visionis Dei, saltem propter culpam totius naturae sustinebant: & in eodem ordine comprehenduntur sine villo dubio animae purgatorii, & omnes, qui in hac vita mortali viuunt, siue sint praedestinati siue reprobi, siue iusti, siue iniusti, fideles vel infideles, omnes enim, dum hic viuunt, possunt saluari, & Christi influxum suscipere. Dices, qui fide carent non sunt membra, sunt enim bis mortui, ut Iudas dicit in sua Canonica, quia neque spiritualem vitam, neque aliquem illius morum participant. Dicitur fortasse, haec esse membra in potentia, sicut ea, quae fidem habent, & non charitatem, sunt membra mortua actu, viua autem in potentia. Sed contra. Ergo Christus erit caput illorum in potentia, non in actu. Respondetur negando consequentiam, duo enim in capite considerari possunt, aliud est ipsum esse capitis; aliud est actualis vniio membrorum ad ipsum, Christus igitur actu habet quiddam ad esse seu constitutionem capitis pertinet, & de se potens est ad influendum in omnia membra, & sine vlla sui mutatione omnibus vniri potest, si ipsa illi coniungi velint, interdum etiam habet aliquam influen-

Cap. 2. in medio, 10. 2.

Christus est caput beatorum & viatorum omnium.

Obiectio. Iudas.

Responsio.

Obiectio. Responsio.

LI 2 tiam



tiam in eos, qui tantum sunt membra in potētia, in mittendo aliquas illustrationes, seu inspirationes, ut eos paulatim ad suam fidem & amorem trahat, est enim hoc caput ita efficax ut possit agere in membra separatim, seu in potentia tantum, ut illud sibi tandem coniungat.

*Christus non est caput damnatorum.*

*Obiectio.*

*Respons.*

In tertio ordine constituuntur damnati, & in eo comprehenduntur, tam illi, qui propter actuale, quam qui propter solum originale peccatū à regno celorum exclusi sunt, & horum omnium negatur Christum esse caput, quia nullum gratiae influxum illis tribuit, neque illi sunt in statu, quo possint illum participare, quia pro illis ut in eo statu existētibus, Christus, nec sua merita, nec satisfactionem obtulit. Dices, Damnati in inferno puniuntur citra condignum, sed hoc beneficium confertur illis propter Christi merita, ergo iam sentiunt aliquem influxum à Christo: Pueri etiam, qui in solo originali moriuntur, recipiunt aliquando (ut credibile est) aliquam Dei cognitionem & amorem, & aliquem modum felicitatis, sed hoc totum non immerito in Christum reuocari potest. Respondetur, hos omnes nullum beneficium sentire aut recipere ex meritis Christi perfectum: quia meritum Christi non communicatur alicui nisi per fidem, vel saltem remotionē propter dispositionem aliquam ad fidem obtinendam ordinatam, quae omnia tandem ad charitatem & gloriam consequendam referuntur: isti autem omnes sunt iam incapaces fidei, & aliorum supernaturalium bonorum, quae in illa fundantur, vel per eam obtinentur: illa ergo, si quae est, remissior poena in damnatis, non est ex meritis Christi, sed ex quadam generali providentia, & benignitate Dei: & simili modo, si bonum aliquod conferendum est ijs, qui in solo originali decedunt, illud solum erit naturalis ordinis, & ad generalem providentiam pertinebit.

Reliqua, quae hoc loco à D. Thoma insinuantur de membris Christi & Ecclesiae, quae sint & per quid constituantur, non sunt hic disputanda, cum ad materiam de Ecclesia pertineant, de qua in 2. q. 1. differendum est.

### ARTICVLVS IIII

*Utrum Christus sit caput Angelorum.*

30.  
3. de 13. q. 2.  
art. 9. 1. &  
dist. 14. art.  
3. q. 1. & 6. 0.  
c. Et 101. q.  
2. p. art. 4.  
c. 5. & p. u.  
3. c. 123. Et  
1. Cor. 11.  
col. 1. &  
Ephe. 1. in  
fin.

Tract. 23.  
anti. medi.  
um. 19.  
tract. à  
medio 10. 9.

**A**d quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus, secundum quod homo, non sit caput Angelorum. Caput enim & membra sunt unius naturae: sed Christus, secundum quod est homo, non est conformis in natura cum Angelis, sed solum cum hominibus: quia ut dicitur Hebraeo. 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham. Ergo Christus, secundum quod homo, non est caput Angelorum.

2. Præterea, illorum Christus est caput, qui pertinent ad Ecclesiam, quae est corpus eius, ut dicitur 1. pbes. 1. Sed Angeli non pertinent ad Ecclesiam: nam Ecclesia est congregatio fidelium: fides autem non est in Angelis: non enim ambulant per fidem, sed per speciem: alioquin peregrinarentur à Domino: secundum quod Apostolus argumentatur 2. ad Corinthios 5. Ergo Christus, secundum quod homo, non est caput Angelorum.

3. Præterea, Augustinus dicit super Ioannem. \* quod sicut Verbum, quod erat in principio apud Patrem, uiuificat animas: ita Verbum caro factum uiuificat corpora, quibus Angeli carent. Sed Verbum caro factum, est Christus secundum quod homo. Ergo Christus secundum quod homo, non influit vitam Angelis. Et ita secundum quod homo, non est caput Angelorum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Colossens. secundo.

**A** Qui est caput omnis principatus & potestatis. Et eadem ratio est de Angelis aliorum ordinum. Est ergo Christus caput Angelorum.

**a** Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, \* ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus sine officia. Manifestum est autem, quod ad unum finem, qui est gloria diuina fructu, ordinantur & homines & Angeli. Unde corpus Ecclesiae mysticum, non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput: quia propinquius se habet ad Deum, & perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli: & de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli. Dicit enim Ephes. 1. quod constituit eum scilicet CHRISTVM Deus pater ad dextram suam in caelestibus supra omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ideo CHRISTVS non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum: unde & Matthaei quarto legitur, quod accesserunt Angeli & ministrabant ei.

**c** Ad primum ergo dicendum, quod influentia Christi super homines, principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generatice non in natura speciei. Erratione huius conformitatis Christus potest dici caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpus.

**d** Ad secundum dicendum, quod Ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium: sed secundum statum patriae est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput: ut pote plenissime habens gratiam & gloriam.

**d** Ad tertium dicendum, quod Augustinus. \* ibi loquitur de secunda quidam similitudine causa ad effectum: prout loquitur scilicet res corporalis agit in corpus: & res spiritualis in res spirituales. Tamen humanitas Christi ex virtute spirituali naturae, scilicet diuinae, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet secundum unionem personalem.

### COMMENTARIVS.

**A**firmat Diuus Thomas & totaliter perspicua est. Solum aduerto, si doctrina huius articuli cum doctrina articuli primi conferatur, satis ex mente D. Thomae constare Christum habere influentiam gratiae in Angelos, nihil enim aliud hic facit, quam respectu Angelorum applicare Christo tres conditiones capitis, quas art. 1. posuerat: Cum ergo hic concludit de influentia Christi non tantum homines, sed etiam Angelos recipere, nisi valde ambigue & æquiuoce loquatur, de influentia gratiae eum loqui necesse est. Ne verò quis existimet, eum locutum esse de influentia pertinente ad ordinem gratiae, non tamen de primaria influentia ipsius gratiae, sed de secundaria alicuius accidentaliter perfectioris, hoc excludit Diuus Thomas solutione ad primum, ubi ut ostendat Christum secundum humanam naturam esse caput Angelorum, etiam si natura humana corporea sit, inquit, primariam influentiam huius capitis super homines, esse quantum ad animas, in quibus sunt aliquo modo similes Angelis, & ideo posse Christum eandem influentiam in illos habere, atque adeo esse illorum caput: certum autem est, illam influentiam principalem, quam habet Christus super homines quantum ad animas, esse ipsius gratiae.



gratiam influxum seu donationem. Et hæc quantum ad mentem D. Thom. nam de ipsa non est animus disputandi vsque ad q. 19. ubi de Christi merito agendum est.

## ARTICVLVS V.

*Verum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesie, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.*

**A**

Quintum sic proceditur. Videtur, quod non sit eadem gratia, qua Christus est caput & ecclesia, cum gratia singulari illius hominis. Dicit enim Apostolus Roma. 5. Si vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. Sed aliud est peccatum actuale ipsius Adæ, & aliud est peccatum originale, quod traduxit in posteros. Ergo alia est gratia personalis, que est propria ipsius Christi, & alia est gratia eius, in quantum est caput Ecclesie, que ab ipso ad alios deriuatur.

Præterea, habitus distinguuntur secundum actus. Sed ad alium actum ordinatur in Christo gratia eius personalis, scilicet ad sanctificationem illius anime: & ad alium actum ordinatur gratia capitis, scilicet ad sanctificandum alios. Ergo alia est gratia personalis ipsius Christi, & alia est gratia eius in quantum est caput Ecclesie.

Præterea, sicut supra dictum est \*, in Christo distinguitur triplex gratia, scilicet, gratia vnionis, gratia capitis, & gratia singularis illius hominis: sed gratia singularis Christi est alia à gratia vnionis: ergo etiam est alia à gratia capitis.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Secundum hoc autem est caput nostrum quod ab eo accipimus. Ergo secundum hoc, quod habuit plenitudinem gratia, est caput nostrum. Plenitudinem autem gratia habuit, secundum quod perfecte fuit in illo gratia personalis, ut supra dictum est \*. Ergo secundum gratiam personalem est caput nostrum, & ita non est alia gratia capitis, & alia gratia personalis.

Respondetur dicendum, quod quia vnumquodque agit, in quantum est ens actus, oportet quod idem sit actus, quo aliquid est actus, quo agit, sicut idem est calor, quo ignis est calidus, & quo calefacit. Non tamen omnis actus, quo aliquid est actus, sufficit ad hoc, quod sit principium agentis in alia: cum enim agens sit praesentius patiente (ut Augustinus dicit. 12. super Gen. ad litteram \*): & Philosophus in 3. de anima \*) oportet quod agens in alia, habeat actum secundum eminentiam quandam. Dictum est autem supra \*, quod in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam: & ideo ex illa eminentia gratia quam accepit, competit sibi quod gratia illa ad alios deriuatur: quod pertinet ad rationem capitis. Et ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius, secundum quam est caput Ecclesie, iustificans alios: differt tamen secundum rationem.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale in Adam, quod est peccatum naturæ, deriuatum est à peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale: quia in eo persona corrupta naturam: qua corruptione mediante, peccatum primi hominis deriuatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Sed gratia non deriuatur à Christo in nos, mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Vnde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam: quarum vna respondeat naturæ, alia personæ, sicut in Adam distinguitur peccatum naturæ & personæ.

Ad secundum dicendum, quod diuersi actus, quorum

Fr. Suarez Tom. I.

vnus est ratio, & causa alterius, non diuersificant habitum: actus autem personalis gratia, qui est sanctum facere formaliter habentem, est ratio iustificationis aliorum que pertinet ad gratiam capitis. Et inde est, quod per huiusmodi differentiam non diuersificatur essentia habitus.

Ad tertium dicendum, quod gratia personalis & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem vnionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale. Et ideo gratia personalis & gratia capitis conueniunt in essentia habitus, non autem gratia vnionis. Quamuis personalis gratia possit quodammodo dici gratia vnionis, prout facit congruitatem quandam ad vnionem. Et secundum hoc vna per essentiam est gratia vnionis, & gratia capitis, & gratia singularis personæ, sed differens sola ratione.

## COMMENTARIVS.

Affirmat D. Thomas, quia eadem est forma, quæ agens in se perficitur, & agit in alios: & littera corporis articuli clara est.

Solum argumentum primum cum solutione indiget aliqua explicatione. Est ergo argumentum, quia in Adam aliud est peccatum actuale ipsius Adæ, aliud peccatum originale, quod traduxit in posteros: ergo & in Christo alia est gratia capitis & alia gratia personæ. Respondet D. Thom. negando consequentiam. Sed in antecedenti aduerto peccatum originale propriè non fuisse in Adam, sed in filijs, ad quos peccatum primi parentis per originem deriuatur, & hoc modo sicut distinguitur peccatum originale à personali Adæ, ita distinguitur iustitia baptismalis seu Christiana, quæ per Christum ad nos deriuatur, à propria gratia & iustitia, quæ est in ipso Christo capite, sed non hoc sensu procedebat argumentum, quanquam enim in Adam non fuerit peccatum originale, id est, per originem contractum, fuit tamen peccatum quasi habituale, cui simile est originale peccatum, quod nos ab illo trahimus, & hoc vocauit D. Thomas peccatum originale in Adam, quod tamen etiam dici potest personale, quia per actum proprium ipsius personæ fuit contractum, & ita in hoc proportionaliter conuenit cum gratia Christi: quia sicut gratia capitalis in Christo necessario est etiam personalis, ita peccatum illud simul & capitale fuit & personale: tamen D. Thom. ipsum actuale peccatum Adæ videtur propriè vocare personale, & hoc distinguit ab ipso habituali peccato, & hoc modo constituit differentiam inter Adamum & Christum, quod in Adam peccatum ipsum habituale, quod fuit veluti totius naturæ deordinatio, ortum est ex peccato actuali, & ita corrupta est natura per actionem personæ: natura vero sic corrupta communicatur filijs Adæ: & cum natura communicatur etiam culpa, & hoc modo distinguitur in Adam peccatum naturæ à peccato personæ: at vero in Christo gratia communicatur humanæ naturæ assumptæ, non per aliquam actionem ipsius naturæ, sed immediate à Deo propter dignitatem personæ: ipse vero Christus communicat nobis gratiam, non per actionem seu communicationem naturæ, sed per propriam personalem actionem suam: & ideo in eo non distinguitur personalis gratia à capitali. Potest etiam alia differentia inter Adamum & Christum excogitari, quia in Adam solum vnum peccatum, scilicet, esus cibi prohibiti, fuit, ut ita dicam, capitale, alia vero, si quæ commisit, fuerunt tantum personalia: at vero in Christo omnis gratia personalis fuit etiam capitalis, & omne opus ab illa procedens fuit non solum in se bonum, sed etiam utile ac meritorium alijs, quo sensu dici potest omne opus Christi fuisse opus capitis. Ratio verò huius differentie est, quia Christus per se propter excellentiam personæ suæ est caput hominum, & ideo omnis gratia illius est gratia capitis, quia est diffu-

Peccatum originale propriè non fuit in Adam, sed in filijs.

L1 3 sua



sua suæ virtutis ad alios. Et similiter omnis actio illius est sufficiens ad perficiendum alios; at vero Adam non habuit ex intrinseca suæ personæ conditione, ut peccatum eius esset peccatum totius naturæ, seu quatenus ex peculiari lege & pacto Dei acceperat illud peculiare præceptum veluti nomine totius naturæ: & tanquam principium totam illam in se continens, & ideo illa transgressio fuit, ut ita dicam, capitalis, non tamen omnis alia. Reliqua argumenta clara sunt.

## ARTICVLVS VI.

*Verum esse caput Ecclesie sit proprium Christo.*

57.  
Infra art.  
7. c. Et Ge.  
vi. q. 19. ar.  
4. c. Et 1.  
Cor 11. cor.  
13.



Diximus sic proceditur. Videtur, quod esse caput Ecclesie non sit proprium Christo. Dicitur enim primo Regum. 15. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es. Sed vna est Ecclesia in nouo & veteri Testamento. Ergo videtur, quod eadem ratione aliquis alius homo præter Christum poterit esse caput Ecclesie.

2. Præterea, ex hoc Christus dicitur esse caput Ecclesie, quod gratiam influit Ecclesie membris. Sed etiam ad alios pertinet, gratiam alijs præbere: secundum illud Ephes. 4. Omnis sermo bonus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad adificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Ergo videtur, quod etiam alij quam Christo competat esse Ecclesie caput.

3. Præterea, Christus ex eo quod præest Ecclesie, non solum dicitur caput, sed etiam Pastor & fundamentum Ecclesie. Sed non sibi soli Christus retinet nomen Pastoris secundum illud. 1. Petri 5. Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam. Nec etiam nomen Fundamenti, secundum illud apocalyp. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim: ergo videtur, quod nec etiam nomen capitis sibi soli retineat.

Sed contra est quod dicitur Colos. 2. Caput Ecclesie est, ex quo corpus per nexum & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei. Sed hoc soli Christo conuenit. Ergo solus Christus est caput Ecclesie.

Respondetur dicendum, quod caput in alia membra influit dupliciter. Vno modo, quodam intrinseco influxu: prout scilicet, virtus motiua & sensitiua, à capite derivatur ad cetera membra. Alio modo secundum quandam exterioriorem gubernationem: prout, scilicet, secundum visum & alios sensus, qui in capite radicanter, diriguntur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratie, non est ab aliquo, nisi à solo Christo: cuius humanitas ex hoc, quod est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra Ecclesie, quantum ad exterioriorem gubernationem potest alijs conuenire. Et secundum hoc aliqui alij possunt dici capita Ecclesie: secundum illud Amos 6. Optimates capita populorum. Differenter tamen à Christo: primo quidem quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum & tempus ad statum: alij autem homines dicuntur capita secundum quadam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum: vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesie, scilicet tempore sui pontificatus: & secundum determinatum statum, prout, scilicet, sunt in statu viatoris. Alio modo, quia Christus est caput Ecclesie propria virtute & auctoritate. Alij vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi secundum illud secundo Corinthiorum secundo. Nam & ego quod donauimus, si quid donauimus, propter vos in persona Christi.

A sit: & secundum illud secunda ad Corinth. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud intelligitur, secundum quod ratio capitis consideratur ex exteriori gubernatione: prout dicitur Rex caput regni sui.

Ad secundum dicendum, quod homo non dat gratiam interius influendo, sed exterius persuadendo ad ea, quæ sunt gratie.

Ad tertium dicendum, quod sicut August. \* dicit super Tract. 4. Ioann. Si præpositi Ecclesie Pastores sunt, quomodo vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnus membra pastoris: & similiter alij possunt dici fundamenta & capita, in quantum sunt vnus capitis & fundamenti membra.

B Et tamen sicut Augustinus ibidem dicit, \* pastorem esse dicit membris suis, ostium verò nemo nostrum se dicit: hoc sibi ipse proprium tenet. Et hoc ideo, quia in ostium importatur principalis auctoritas, in quantum ostium est, per quem quod omnes ingreditur in domum: & ipse solus Christus est, per quem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus. Per alia verò nomina prædicta potest importari auctoritas, non solum principalis, sed etiam secundaria.

## COMMENTARIVS.

Hæc quæstio, ut ex superioribus constat, solum mouetur de influenza capitis, nam de duobus alijs conditionibus, satis ex superioribus constat inuentas esse in Christo proprio quodam & singulari modo: & ita D. Tho. in hoc articulo solum de influenza responderet.

b Dicitur igitur, internam gratie influentiam esse propriam Christi capitis, externam verò, quæ est per gubernationem seu iurisdictionem, interdum communicari alijs secundum quandam capitis participationem. Quæ distinctio difficultate non caret, nam si est sermo de influxu externo eiusdem perfectionis, & excellentiæ cum influxu ipsius Christi, hoc modo nullus habet influxum capitis, nisi Christus: si vero sit sermo de influxu participato, & dependente à Christo, sic etiam internus influxus gratie communicatur alijs, nam remissio peccatorum ad hunc influxum pertinet, & hæc sacerdotibus communicatur. Respondetur primò, sermonem Diui Thomæ esse præcipue de influxu gratie, quæ est per modum meriti, & redemptionis, hic enim est, qui proprie conuenit in Christum, ut est caput Ecclesie, & hic non communicatur alijs, qui aliquam rationem capitis participant. Deinde potestas regendi Ecclesiam, quæ communicatur alijs, qui aliquo modo sunt capita, licet sit inferior potestate Christi, & ab illa manans, tamen in suo genere est propria, & quasi principalis, sicut potestas, aut virtus causæ secundæ, vel sicut potestas regia & dominiatiua, est in suo ordine propria, & principalis, quamuis à Deo deriuetur: & ideo per hanc potestatem vere constituuntur Pastores Ecclesie, superiores, & veluti capita in suo genere, quoad hunc influxum externum: at vero potestas influendi gratiam vel dandi remissionem peccati, omnino est quasi instrumentaria, & ideo non censetur proprie exerceri à ministro ut capite, sed vt ab instrumento ipsius capitis: Christus vero habet potestatem hanc tanquam caput, quia licet eius humanitas non possit gratiam efficere nisi vt instrumentum Verbi, tamen nihilominus hoc illi est debitum ratione suæ excellentiæ personalis, & propter suum infinitum meritum: & ideo est veluti causa principalis huius influxus, vt quæstione 13. explicabitur.

DISPV.



## DISPUTATIO XXIII.

*De dignitate & gratia capitis, quæ est in Christo.*

In hoc loco tractanda essent omnia, quæ sub hac metaphora capitis comprehendere possunt, oportet quæstiones multas, quas D. Thom. in sequentibus tractat, huc reuocare: quia (vt diximus) hoc nomine præcipue indicatur potestas superioris ad influendum in omnes eos, qui sunt veluti partes eiusdem corporis mystici seu politici; vnde in præsentī materia ad dignitatem capitis Christi pertinere potest potestas ferendi leges, condendi Ecclesiam, illuminandi, sanctificandi, &c. Et ita sub dignitate capitis continentur non tantum dignitas Redemptoris & Sanctificatoris, sed etiam dignitas Sacerdotis summi, Regis, Legislatoris, Doctoris, & si quæ sunt alie similes. Hoc verò loco non agimus de dignitate capitis Christi sub tota hac amplitudine, sed solum in ratione Sanctificatoris, seu Iustificatoris, quia solū agimus de hac dignitate in ordine ad gratiam Christi explicandam. Quia verò hæc quæstio hoc sensu explicata, omnino pendet ex cognitione meritōrum Christi, ideo ne materias confundamus, breuissimè illam expediemus, duo tantum explicando: scilicet hæc dignitatem conuenire Christo respectu omnium creaturarum, eo modo quo illæ sunt capaces effectus huius potestatis: & quæ sit gratia, quæ Christo vt capiti conueniat.

## SECTIO I.

*Verum Christus sit totius vniuersi caput, præsertim hominum & Angelorum.*

Sensus quæstionis est de Christo homine, vt homo est, seu secundum humanitatem specificatiue, vt aiunt, id est, an in ipsa humanitate habeat hanc dignitatem, & per eam munus capitis exerceat; de quæ tres sententiæ referri possunt. Prima affirmat Christum esse caput hominum tantum non Angelorum nec aliarum creaturarū. Ita Altiſſod. li. 3. sum. tract. 1. ca. 4. quæst. 2. Gab. indicat in 3. distinct. 13. artic. 3. dub. 2. vbi dicit Christum vt hominem non esse caput Angelorum, nisi quoad excellentiam & perfectionem gratiæ. Idem tenet Driedo tractat. 2. de Capiti. & redemp. gene. human. cap. 2. par. 3. artic. 5. proposit. 4. fol. 51. Soto. in. 4. distinct. 49. quæstion. 4. artic. 2. in fine, cui sententiæ videtur fauere multi Patres, qui vbiunque Paulus dicit Christum esse caput hominum & angelorum, explicant, hominum esse caput secundum humanitatem, angelorum verò secundum diuinitatem, quos infra adducam. Fundamentum verò huius sententiæ potest esse duplex. Primum, quia Christus vt homo non est eiusdem naturæ cum angelis, caput autem debet esse homogeneum. Secundum, quia Christus non meruit gratiam angelis. Secunda sententia est, Christum esse caput omnium hominum & angelorum, quia in omnes potest influere gratiam vel supernaturalē aliquod donum: non verò aliarum creaturarum, quia illæ non sunt capaces huius influxus. Hæc videtur esse D. Thom. sententia in his articulis, nam primam illius partem aperte docet, secundam verò satis indicat articulo secundo ad 2. Idem Alexand. Alenſ. 3. part. quæstion. 1. am. 2. artic. 1. & alij doctores in 3. distinct. 13. Ricard. artic. 2. quæstion. 3. Paul. quæstion. 1. artic. 3. Durand. quæstion. 2. Turrecrem. lib. 1. sum. Ecclesiast. ca. 45. & sequentibus. Tertia sententia est, Christum esse caput non solum hominum & Angelorum sed etiam creaturarum omnium. Hanc late tractat Galat. li. 7. de arcanis catholice veritatis, cap. 2. & sequentibus & Catherin. lib. de eximia Christi prædestinat. quibus fauere videtur Orig. hom. 2. in Psal. 36. col. 2. dicens, Christum cuius omne hominum genus imo fortasse totius

A creaturæ vniuersitas corpus est, &c. Et Hilari. in libri de Synodis vbi ex Concilio Sirmienſi refert, Christum esse caput omnium, caput autem Christi esse Deum. Quod necessario videtur intelligendum de Christo homine, nam Christus, vt Deus, licet habeat principium scilicet patrem, non tamen potest dici caput eius, cum non sit quid perfectius.

Dico primo, Christum esse caput totius Ecclesiæ, quæ ex hominibus constat, siue in terra militantis, siue in celo regnantis. Hæc conclusio est de fide, probatur ex Paul. ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Vbi constat sermonem esse de Christo homine, præmittit enim, *Suscitans eum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus, & omnia subiecit sub pedibus eius:* Christus enim non vt Deus, sed vt homo susceptus est, & illi B non tantum vt Deo (quod iam per se habebat) sed etiam vt homini omnia subiecta sunt. Vnde Anſ. non incommode ibi inquit, significatam esse humanitatem, quia sicut pes, inferior pars corporis est: ita humanitas est inferior Christi natura. Ac denique Ecclesia non dicitur corpus Christi vt Dei, sed vt hominis, ergo similiter Christus est caput eius, non tantum vt Deus, sed vt homo, vnde c. 4. *Veritatem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, &c.* 5. *Vt caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius, &c.* Et ita interpretantur hæc loca Chrysostom. Hierony. Ambrosii. Theodoret. Theophylact. & alij Patres. Simile. Hilari. est illud ad Colos. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Theodoret. quem locum tractans Hilari. 8. de Trinit. sub fine, inquit, *Ob dispensationem corporis nostri ipse est caput, & idem docet Basil. lib. de Spirit. sanct. cap. 5. Augustin. optime præfatione ad 2. enarrationem Psalm. 29. & ad Psalm. 139. & serm. 50. de Verbis Dom. & epist. 50. in fine & 57. in fi. vbi ait: aliter habitare Deum in Christo vt in capite, & aliter in cæteris membris, & libr. 1. de Trinit. c. 12. dicit Christum secundum formam serui esse caput Ecclesiæ. Ratio verò est quam supra circa artic. 1. Diu. Tho. explicatam reliquimus. Et potest confirmari ex Paulo 1. ad Cor. 12. & 2. alijs locis, vbi Ecclesiam dicit esse vnum corpus habens diuersa membra, quorum diuersa sunt munera seu ministeria: ergo oportet, vt hoc corpus vnum habeat caput, non tantum quasi extrinsecum, quod est Deus, sed etiam veluti intrinsecum, & quasi homogeneum, hoc autem non potest esse nisi Christus, qui inter omnia huius Ecclesiæ membra eminet, & in omnia influit. Dices. Pari ratione posset dici cor Ecclesiæ, quia etiam cor influit, & est membrum principale. Respondetur. Quamquam concederetur totum, non esset magnum inconueniens, negatur tamen consequentia cum D. Thom. artic. 1. ad 3. quia cordis influentia est occulta & inuisibilis, & ideo in Ecclesia potius Spiritui sancto accommodatur, caput autem habet eminentiam inter alia membra & influentiam magis visibilem: & ideo hæc metaphora magis accommodatur Christo homini, qui in natura assumpta est caput visibile. Sed obieciſ, quia Christus, vt homo, non habuit sufficientem vim ad influendum in alios; ergo vt sic non potest esse caput. Antecedens patet, tum quia alijs omnes homines haberent hanc vim: tum etiam quia sola humanitas non potest esse principium tam perfecti meriti. Respondetur non esse sermonem de Christo vt homine reduplicatiue, sed specificatiue. Vnde non excluditur dignitas suppositi diuini, sed illa est veluti radix huius dignitatis, quæ in humanitate & per humanitatem exercetur.*

Et ex hac conclusione inferitur: Christum esse caput omnium hominum qui recipiunt, vel possunt recipere influxum eius, vt circa artic. 3. satis explicatum est, & quia omnes homines pro aliquo saltem tempore sunt in statu in quo possunt recipere hunc Christi influxum, ideo simpliciter omnium illorum



*Christus jo-  
lum in hac  
vita est ca-  
put repro-  
batorum, per  
petuo in me  
prædestina-  
torum.*

caput est: aliquorum quidem solū ad tempus, quā-  
diu in hac vita degunt, scilicet reproborum, aliorū  
verò perpetuo, scilicet prædestinatorū, quamuis ipsi  
non semper illi eodem modo coniungantur: aliquā-  
do enim sunt membra illius viua, aliquando mor-  
tua, donec ad statum patriæ perueniunt, ubi perfe-  
ctissime illi coniunguntur.

Sed dubitari hic potest primò de infantibus, qui  
in vteris matris moriuntur, quia illi nunquam vi-  
dentur esse membra Christi, non enim postquam  
moriuntur ut supra dictum est, nec verò dū viuunt  
in vtero matris, quia etiam ibi non possunt reci-  
pere influxum à Christo capite. Hoc dubium tangit  
grauem difficultatem, alienam verò ab hoc loco, &  
in materia de baptismo vel de prædestinatione dis-  
putandam. Ideo breuiter dico, statim a homo in-  
cipit viuere etiam in vtero matris, posse dici mem-  
brum Christi, quia per se loquendo potest recipere  
influxum eius, quamuis per accidens interdum im-  
pediatur: aliqui etiam in vtero sanctificati sunt per  
merita Christi, & aliqui etiam, præsertim prædesti-  
nati, recipiunt aliquod auxilium per specialem pro-  
uidentiam saltem medijs parentibus, hoc ergo satis  
est, ut Christus vere sit eorum caput.

Secundò dubitari potest, an Christus sit vel fue-  
rit caput Adæ pro statu innocentie. Nonnulli enim  
Thomistæ negant. D. Tho. autem ar. 3. expressè dicit  
Christum esse caput omnium hominum accipien-  
do generaliter secundum totum tempus mudi, sub  
hoc vero tempore includitur etiam Adam in statu  
innocentie, & est expressa sententia Aug. cuius ver-  
ba statim referam. Dico igitur etiam in eo statu fuisse  
Adam membrum Christi, quia tunc habuit fidem  
eius ut supra q. 1. ar. 3. latè ostendi.

Dico secundo, Christus ut homo etiam est caput  
angelorum. Hanc docent Theologi supra in opinio-  
ne secunda citati. Et probatur primo eisdem testi-  
monijs citatis ex Paulo, præsertim ad Eph. 1. vbi di-  
cit Christum esse constitutum caput super omnem  
Ecclesiam: ita enim legit nostra Vulgata Latina, &  
frequentius Latini expositores, & Gregor. hom. 7. in  
Ezech. Igitur si super omnem Ecclesiam, ergo super  
angelicam & humanam, vel super totam vniuersa-  
lem Ecclesiam ex Angelis & hominibus constantē,  
ut manifestè ibi exponit Hier. Præterea ad Colos. 2.  
Ecclesia, inquit, in illo repleti, qui est caput omnis principatus,  
& potestatis, & c. aperte loquitur de Christo homine  
in vtroq; loco, ut in superioribus præsertim disp. 5.  
satis ostensum est. Tertiò, est hæc communis senten-  
tia patrum, Aug. concione tertia in Psal. 36. inquit,  
Caput nostrum Christus est, corpus capitū illius nos sumus,  
nunquid soli nos? Et non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Om-  
nes qui ab initio seculi fuerunt iusti adiuncti etiam legio-  
nibus, & exercitibus Angelorum, ut illa vna diuinitas fiat sub  
vno Rege, & vna prouincia sub vno Imperatore. Hil. Psal.  
139. circa illa verba, Caput circūitus eorum, ut in omni-  
bus, inquit, Sanctus caput Christus est, ita omnibus in quibus  
caput diabolus est. Et similia habet Aug. in expositione  
eiusdem Psal. circa illa verba, Qui cogitauerunt sup-  
plantare gressus meos, & c. Vnde potest sumi confirma-  
tio, nam de mon. eo modo quo est caput malorum,  
non tantum est caput malorum Angelorum, sed etiam  
malorum hominum, ergo multo magis Chri-  
stus non tantum est caput bonorum hominum, sed  
etiam Angelorum.

Ratio verò est, quia ex Angelis & hominibus vna  
Ecclesia, quæ est veluti vna spiritualis respublica,  
constituitur, sed huic Ecclesie toti Christus præest,  
& potestatem habet super omnia membra illius, er-  
go est caput omnium, tam Angelorū, quam homi-  
num. Maior receptissima est, ut constat ex Hierony-  
mo supra, & August. in Ench. ca. 56. & collatione 3.  
contra Donat. Et in eius confirmationem nonnulla  
congerit Turrian. lib. 2. de dogmat. caract. nō lon-  
ge à principio, ubi adducit canonem Concilij Ni-

A ceni dicentis, vnam esse Ecclesiam in coelis & in ter-  
ra. Hinc etiam Sancti frequenter dicunt, homines  
assumptos esse ad sedes Angelorum reparandas, ve-  
potè vnum cum eis regnum, vnamq; Ecclesiam cō-  
ponentes. Minor etiam est certa, nā in primis per se  
se maxime decet, ut vnum politicum corpus vnum  
habeat caput à quo regatur, ut August. citatis ver-  
bis egregie declarauit, & alia similia refert Turria-  
nus supra ex Theophane, Episcopo Niss. Deniq; est  
hoc maxime debitum Christo Domino, & humani-  
tati eius, tum ratione vniōis, tum ratione infini-  
torum meritorum. Tandem probatur ex ipso vsu  
nam in primis Angeli obediunt Christo, & sunt mi-  
nistri eius, vnde in Euangelio legimus illi ministras-  
se, & Paul. ait, Omnes est administratores spiritus propter  
eos, qui hereditatem capiunt salutis: in hoc autem mini-  
sterio Christo homini parent, qui est nostræ salutis  
author, & totius Ecclesie gubernator. Vnde D. Th.  
infra quæst. 56. artic. 6. dicit Christum iudicaturum  
Angelos, saltem quoad ea quæ pertinent ad guber-  
nationem Ecclesie. Deinde Christus homo illumina-  
nat Angelos, ut Theologi fatentur cum Dion. 7. cap.  
de coel. hierar. Deniq; quod illis meruerit gratiam,  
& gloriam, & consequenter quod in illis habeat per-  
fectum influxū capitis in genere gratiæ ostendimus  
infra qu. 19.

Sed contra, nam August. in Enchirid. cap. 56. so-  
lum dicit Christum esse caput Ecclesie, quæ est in  
hominibus. Sed hoc difficultatem non habet, quia  
licet Aug. ibi hoc tantū affirmauerit, non tamē a-  
liud negauit, quod alijs locis expresse asseruit, ut vi-  
dimus. Maior difficultas est in Chrys. homil. 1. super  
ad Eph. 1. circa finem, quem Theophylact. sequit-  
ur, qui exponunt Christum esse caput hominum, &  
Angelorum: hominum secundum carnem. Ange-  
lorum verò, ut est Deus Verbum. Vnde quod ibi di-  
cit Paulus Christum datum esse caput super omnem  
Ecclesiam, intelligunt de Ecclesia hominum, quæ om-  
nis Ecclesia dicitur, vel propter parciales Ecclesias  
vel propter illam, quæ ex Gentibus, & Iudæis con-  
gregatur. Quanquam alij non legant super omnem  
Ecclesiam, sed super omnia Ecclesie, id est, super om-  
nia Ecclesie membra: vel certe dicitur datus ca-  
put Ecclesie super omnia, id est, ut omnibus bonis  
eam repleat, ut Anselm. exponit. Denique quod ad  
Colos. 2. dicitur Christum esse caput principatum,  
& c. de Christo ut Deo ab eisdem Græcis exponitur.  
Respondetur, propter huiusmodi testimonio, & ex-  
positiones conclusio non est de fide, est tamen mul-  
to probabilior propter ea, quæ adduximus. Et for-  
tasse Chrysostom. non intendit negare, Christum esse  
caput Angelorum, in humanitate ipsa, sed assignat  
causam propter quam est eorum caput, scilicet quia  
est Deus. hominum enim potest esse caput, etiam si  
tantum homo esset, quamuis non tam perfecte, &  
proprie sicut modo est: respectu verò Angelorū cum  
natura humana sit inferior illis, eleuata est ad digni-  
tatem capitis solum ratione diuinæ naturæ, seu per-  
sonæ infinitæ illi coniunctæ.

Dico tertio, Christus aliquo modo dici potest ca-  
put creaturarum omnium, non verò eo modo quo  
Angelorum, & hominum. Prior pars declaratur  
breuiter ex illo ad Colos. 1. vbi Christus dicitur,  
Primogenitus omnis creature, quia dignitate, & propin-  
quitate ad Deum antecedit omnes, nam & in men-  
te & voluntate Dei fuit primus omnium, ut supra  
quæst. 1. ar. 3. ostendimus, & perfectione etiam ac di-  
gnitate primus est, ut per se constat. Quod verò ad  
influentiam attinet, quidam existimant Deum per  
humanitatem Christi & ob illius merita influere in  
res omnes ipsum esse, & naturalem perfectionem.  
Sed non est hoc verisimile, nec probabili funda-  
mēto niti potest: quia si intelligatur de influxu phy-  
sico, non est cur fingamus, Deum per humanitatem  
conseruare res omnes, aut ad omnium actiones cō-  
currere.



*Auguf.* eurrere, quia hoc nec pertinet ad dignitatem assumptam humanitatis, nec est necessarium ad manifestationem nominis Christi, ut dicitur questione 13. Si vero sit sermo de influxu per modum meriti, solum meruit, quæ ad sanctitatem, vel beatitudinem pertinent, aut conferunt: nam hæc sunt bona, ad quæ merita ordinantur, non ad naturalia bona, ut talia sunt, unde Augustinus, epist. 105. circa med. Meruit, inquit, nobis Christus, ut in se, esset, non ut homines, vel liberaret, ut in se.

*Quæstio* Solum ergo potest dici Christum influere in res omnes & omnium esse caput, vel quatenus omnibus dominatur, & omnia subiecta sunt sub pedibus eius, ut Psalm. 110. & dicitur, & de Christo exponitur à Paulo ad Ephes. 1. & ad Hebr. 2. & hoc modo dicit Hier. ad Ephes. Christum esse caput etiam demonum, quia est illorum dominus, & princeps, & illis potest imperare: vel quatenus per Christi incarnationem res omnes quandam dignitatem, aut nobilitatem suscipiunt, ut supra quæstio. 1. explicatum est, vel certe quatenus omnibus uti potest ad bonorum salutem: & præsertim quia post diem iudicii per Christum omnia renouabuntur, & quandam splendorem, & incorruptionem accipient, propter quod dicitur ad Rom. 8. quod expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat, nam liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Propter quod Theodoret. & Oecum. exponentes illud ad Hebr. 2. *Ut pro omnibus gustaret mortem*, dicunt, Christi mortem omnibus creaturis attulisse emolumentum.

*Paul.* Et ex his facili est secunda pars conclusionis, nam influxus quem habet Christus in creaturas rationales, multo est alterius rationis, & excellentior, quam sit influxus in creaturas irrationales. Deinde Ecclesia tantum ex Angelis & hominibus constans dicitur propriè corpus mysticum Christi, ad quod non pertinent res aliæ inferiores tanquam membra vel partes eius, quia non viuunt spiritali vita huius corporis, nec ad finem vltimum huius reipublicæ ordinantur, quia reuera non sunt capaces eius, sed sunt quæ res, vel bona externa huic corpori seu Reipublicæ deferunt. Propriè ergo Christus est caput huius Ecclesiæ, aliarum verò rerum, dicitur dominus aut princeps magis quam caput, sicut Rex in regno, vel Pater familias in domo, propriè dicitur caput hominum, regni, vel familiæ, aliarum autem rerum quibus illi homines vtuntur potius dicitur dominus, vel gubernator.

*Theod.* Sed hoc loco non immeritò dubitabit aliquis, an sicut Christus dicitur caput huius corporis, ita etiam possit dici membrum eius? Solet enim caput esse membrum totius corporis. Quidam Theologi ita loquuntur, quia considerando totam Ecclesiam, ut constantem ex omnibus alijs membris, & suo capite nihil ob stare videtur, quin Christus vocetur membrum huius corporis primum, & principale, sic enim videtur loqui Paul. 1. ad Corint. 12. dicens. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membris*, id est, de principali membro quod est Christus. Ita Diuus Thom. ibi, & in 4. d. 49. quæst. 4. arti. 3. ad 4. Altius d. lib. 3. tract. 1. c. 4. quæ. 6. Turrecre. lib. 1. sum. Ecclesiæ. cap. 47.

*Paulus.* Alijs autem non placet ille modus loquendi, quia ratio membri videtur quandam imperfectionem includere, quam non includit ratio capitis, nimirum dependentiam aliquam ab alijs membris, & participationem alicuius virtutis seu influxus, sicut naturale caput recipit ab alijs membris alimentum, & alia subsidia, Christus verò ita est caput, ut nihil à suis membris recipiat, neque ab illis villo modo pendeat. Neque est inconueniens in his metaphoricis locutionibus accommodari vnum nomen quod imperfectionem non includit, non verò aliud propter imperfectionem importatam: & hic modus loquendi mihi magis probatur cum Diuo Thom. in 3.

A distinctione 13. quæstione secunda articulo 1. ad vltimum Alen. 3. p. quæst. 12. memb. 2. art. 1. Marfil. in 3. quæst. 10.

*Anselm.* Nec Paulus alio modo loquitur in illo loco ad Corinth. tribus enim alijs modis exponitur, primò *Estis membra Christi de membris*, id est, per ministerium alteri membris, scilicet ipsius Pauli, per quem Christo vniti fuerant. Ita Anselm. ibi quamuis non ad litteram. Alia ergo & magis literalis expositio est, *Vos estis corpus Christi & membra ad inuicem*, seu vicissim, hæc enim vim habet vox Græcæ *καὶ ἑκαστὸς*, ita indicat ibi Ambros. & Hiero. Claud. & Gagne. & consonant verba sequentia, scilicet, *Et quosdam posuit Apostolos, &c.* Tertia expositio & satis etiam consentanea litteræ est, *Estis corpus Christi, & membra ex parte*, id est, non integrum corpus, nec omnia membra, sed ex parte: Ecclesia enim Corinthiorum non erat integrum corpus Christi, nec continebat omnia Christi membra, sed ex parte, & hoc significat magis propriè vox Græcæ *καὶ ἑκαστὸς*, Et ita etiam vertit vulgata, ut in margine notatur, sicut ad Rom. 15. *si vobis ex parte fructus fuero*, Græcè habetur, *ἀπὸ μέρους*, & ita exponunt hic Chrys. Theoph. & Græci, quos Caiet. sequitur.

*Chrys.* Ad duo fundamenta prioris sententiæ respondetur breuiter, ad primum dicitur, non oportere caput mysticum esse omnino eiusdem speciei cum omnibus membris: nam demon caput est malorum hominum, & Deus, ut Deus est caput Christi hominis, & Angelorum, non ergo oportet, ut caput mysticum sit eiusdem naturæ specificæ, sed satis est, ut in gradu intellectuali conueniant, & in fine seu beatitudine ad quam tendunt: ita verò conueniunt naturalia humana & Angelica, quæ in ordine ad supernaturalia bona quasi eiusdem naturæ sunt: eandemque gratiam, & gloriam participant; Et ideo dicuntur homines futuri in beatitudine sicut Angeli, hoc ergo satis est, ut verissime Christus sit caput Angelorum.

*Caiet.* Dices. Esto non sit necessarium, ut caput sit eiusdem naturæ, necessarium tamen videtur, ut sit vel æqualis, vel superioris naturæ, quod Christo ut homini non competit: nam in hoc minoratur est ab Angelis Psalm. 8. ad Hebr. 2. Respondeo, neque id esse necessarium, quando excellentia personæ tanta est, ut naturam sibi unitam ad superioris perfectionis ordinem eleuet. Imò sola excellentia gratiæ creatæ posset sufficere; quia Ecclesiæ perfectio magis ex gratia, quam ex natura pensatur.

*D.* Ad secundum quod est de merito Christi respectu Angelorum, primò negatur assumptum, de quo infra dicitur. Secundo etiam qui hoc negant non propterea negabunt Christum esse caput: dicent enim sufficere quod influat aliquid pertinet ad accidentalem gloriam, vel supernaturalem cognitionem. Hi verò, qui ita opinantur non dicunt fortasse, Angelos fuisse membra Christi etiam ante incarnationem eius, quia pro eo tempore nihil in eos influebat, quia tunc tantum influere poterat ratione meriti: hoc autem mihi non probatur, quia tota Ecclesia in omnibus membris suis semper fuit Christo coniuncta per fidem vel charitatem, & illius influxum participauit.

## SECTIO II.

## Quæ fuerit in Christo gratia capitis.

*D.* Ex dictis in præcedenti sectione constat, hanc dignitatem capitis, non esse distinctam à dignitate Redemptoris, vel Sanctificatoris, quia solum consideramus nunc rationem capitis, quoad influxum gratiæ qui conuenit Christo, prout est aliorum sanctificator. Duplex autem influxus gratiæ intelligi potest in Christo, primus est propriè, ac physice effectiuus, qui pertinet ad potestatem faciendi opera supernaturalia, de qua dicemus quæ. 13. alius est per modum meriti, & qui

Anselm.

Irenæus;  
Hieron.  
Claud.  
Gagne.Chrys.  
Theophyl.  
Caiet.

Duplex influxus gratiæ in Christo.



& qui per se, ac proprie pertinet ad rationem huius capitis, unde quia principium omnis meriti est gratia, ideo gratia Christi, quae est principium huius meriti, dicitur gratia capitis: quam propterea omnes Theologi supponunt esse in Christo, tanquam certum, quia necessario sequitur ex dignitate capitis, & ex dicto merito, si tantum vocis significatio, ut iam explicata est, intelligatur.

*Dubium.*

Dubitant verò quid sit ista gratia, in quo triplex potest esse dicendi modus. Primus est hanc gratiam esse formam seu rem aliquam distinctam à gratia vniionis, & gratia habituali. Sed hic modus neque vllum habet autorem, nec probabile fundamentum: & ideo omnino rejiciendus est: gratia enim quae est principium meriti non est alia: ab illa per quam homo sanctificatur, & operatur: imò ideo requiritur gratia ad meritum, quia requiritur ad sanctificandam personam, quod necessarium est, ut sit capax meriti, vel ad operandum, ergo in Christo eadem gratia per quam humanitas eius sanctificatur, & operatur: est principium merendi, illa verò est gratia vniionis, vel habitualis, ut in superioribus ostensum est. eadem ergo fuit principium merendi, ergo illa fuit gratia capitis, quia (ut dixi) nihil aliud est gratia capitis, quam gratia, quae est principium merendi alijs, & in Christo eadem gratia fuit principium merendi sibi, & alijs, quia quodlibet meritum Christi habuit valorem & efficaciam ad vtrumque.

Secundus modus dicendi est, hanc gratiam capitis esse ipsam gratiam habituale, quae secundum essentiam suam, & prout sanctificat animam Christi, & est principium operandi, dicitur gratia habitualis seu personalis: prout verò fuit principium sanctificandi alios, dicitur gratia capitis. Hæc est communis sententia Theologorum D. Thom. hic art. 7. & aliorum in 2. distinct. 13. vbi Bonauent. artic. 2. quæstion. 2. Ricard. artic. 3. quæst. 2. Gab. art. 3. in fine Almai. q. 1. in fine, Marfil. q. 10. art. 1. dub. 3. Alens. 3. p. q. 11. memb. 3. & fundamentum est supra tactum, quia eadem est gratia sanctificans, & quae est principium meriti.

*Bonauent.  
Ricard.  
Gab.  
Almain.  
Marfil.  
Alens.*

Tertia verò sententia esse potest, gratiam capitis esse ipsam gratiam vniionis. Quae sumi videtur ex D. Thom. artic. 6. vbi dicit proprium esse Christo esse caput Ecclesiae simpliciter, & proprie secundum influxum gratiae, quia eius humanitas, ex hoc quod est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi: & videtur etiam sequi ex his, quae supra diximus, animam Christi per gratiam vniionis perfectissime, sanctificari, sed gratia illa est principium meriti quae est forma sanctificans, imò ut D. Thom. dixit artic. 4. sicut non quilibet forma, quae dat esse, est principium in perficiendi alios, sed illa quae est forma excellens, & perfecta: ita non quilibet gratia sanctificans personam, est principium merendi alijs, seu iustificandi alios, sed illa quae est excellens, & perfectissima, sed huiusmodi est Christo gratia vniionis, potius quam habitualis. Unde confirmatur, nam gratia habitualis secundum se quantumvis sit intensa, & perfecta ex suo genere, non est principium merendi alijs, neque ad hoc ex natura sua ordinatur, si autem in Christo habet hanc vim est propter coniunctionem ad gratiam vniionis, & propter dignitatem, quam in esse gratiae inde accipit, ut supra declaratum est, & videtur intellexisse Caietanus in artic. 7. ergo, &c.

Inter has opiniones non inuenio differentiam, quae ad disputationem de re ipsa pertineat, rationes enim factae in fauorem vltimae sententiae concludunt, hanc dignitatem capitis potissimum deberi Christo ratione vniionis, atque adeo gratiam vniionis per se, & ratione excellentiae, quam de se habet, esse sufficientem principium sanctificandi alios, gratiam verò habituale participare hanc virtutem ex coniunctione ad vniionem. Unde non immerito dici potest

A gratia vniionis quasi principium principale meriti, nam ab illa oritur praecipuus, & infinitus valor, ac efficacia, & influxus in alios, ut ex dictis in 4. disputatione satis constat, gratia autem habitualis est quasi principium proximum eiusdem meriti, unde fit, vtrumque posse dici gratiam capitis, vnamquamque in suo ordine. Unde posset etiam distinguere gratia, quae caput ipsum constituitur in esse capitis, à gratia, quae datur capiti, ut eliciat actiones capitis, per quas influat in alios: prior est gratia vniionis, quae sine dubio potest hoc modo vocari gratia capitis: posterior verò est gratia habitualis, quae proprie etiam vocatur in sua ratione gratia capitis. Et de hac potissime loquuntur D. Thom. & alij Theologi, supponunt enim tanquam clarum, Christum ex vi suae vniionis esse & singularem hominem, & caput aliorum hominum: & inde inferunt indigere accidentali gratia quae & naturae eius bene disponat, & perficiat, ut sit principium operandi ad sanctificationem aliorum, quia gratia vniionis (ut supra dictum est) non est principium proximum, seu ratio operandi, & hoc sensu recte concludunt eandem gratiam habituale esse personalem, & capitis, loquimur autem generatim de gratia habituali, ut includit totam animae iustitiam & habitus etiam potentiarum.

Ex his intelligitur, gratiam & dignitatem capitis ita esse Christo propriam, ut nulli alteri communica sit, imò nec communicari possit purae creaturae saltem quoad perfectionem, & modum influendi gratiam in alios ex perfecta iustitia, quia hoc non conuenit nisi ratione gratiae vniionis, ut dicta disputatione 4. late dictum est. Quoad alia etiam, quae ad potestatem excellentiae pertinent, ut est sacramentorum institutio, &c. nemini etiam communicata fuit hæc dignitas, ut infra q. 22. latius explicabimus.

Quod verò hic aliqui disputant, an alius præter Christum possit dici caput Ecclesiae, ad hunc locum non pertinet, constat enim eo modo, quo est Christus, nullum aliud esse caput, tamen sub Christo, & dependenter ab illo Vicarius eius potest dici caput Ecclesiae militantis, tanquam supremus gubernator, & dispensator mysteriorum Dei ab eodem Christo constitutus.

#### ARTICVLVS VII.

*Vtrum diabolus sit caput omnium malorum.*

**A**d septimum sic proceditur. Videtur, quod diabolus non sit caput malorum. Ad rationem enim capitis pertinet, quod influat sensum & motum in membra: ut dicit quidam glossa super illud ad Eph. 1. Ipsum dedit caput, &c. Sed diabolus non habet virtutem influendi malitiam peccati, quod ex voluntate peccantis procedit. Ergo diabolus non potest dici caput malorum.

2. Præterea. Per quodlibet peccatum fit homo malus. Sed non omnia peccata sunt à Diabolo. Quod quidem manifestum est de peccatis demonum, qui non ex persuasionem aliterius peccauerunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit: dicitur enim in libro de Ecclesiasticis \* dogmatibus: Non omnes cogitationes nostra male, semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquoties ex motu arbitri nostri emergunt. Ergo diabolus non est caput omnium malorum.

3. Præterea, Vnum caput vni corpori praeficitur. Sed tota multitudo malorum non videtur habere aliquod, in quo vniatur: quia malum malo contingit esse contrarium: contingit etiam ex diuersis defectibus, ut Dion. dicit 4. cap. de Diuinis nominibus. \* Non ergo diabolus potest dici caput omnium malorum.

Sed contra est, quod super illud Iob 18. Memoria illius perierat de terra. dicit glossa. \* De vnoquoque iniquo dicitur, ut ad caput, id est diabolum, reuertatur.

*Respon-*



## ARTICVLVS VIII.

*Utrum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum.*

**D** octauum sic proceditur. Videtur, quod Antichristus non sit caput malorum. Vnus enim corporis non sunt diuersa capita. Sed diabolus est caput multitudinis malorum. Non ergo Antichristus est eorum caput.

**2.** Præterea, Antichristus est membrum diaboli. Sed caput distinguitur a membris. Ergo Antichristus non est caput malorum.

**3.** Præterea, Caput habet influentiam in membra. Sed Antichristus nullam habet influentiam in malos, qui eum præcesserunt. Ergo Antichristus non est caput malorum.

**B** Sed contra est, quod Iob. 21. super illud, Interrogate quilibet de viatoribus, dicit glossa. Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput Antichristum verba conuertit.

**a** Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, in capite naturalia tria inueniuntur scilicet ordo, perfectio, & virtus influendi. Quantum igitur ad ordinem temporis, non dicitur Antichristus esse malorum caput, quasi eius peccatum præcesserit, sicut præcessit peccatum diaboli. Similiter etiam non dicitur esse caput malorum propter virtutem influendi: est enim aliquis sui temporis ad malum sit conuersus, exterius inducendo: non tamen illi, qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducitur, nec etiam eius malitiam sunt imitati, unde secundum hoc non possit dici caput omnium malorum, sed aliquorum. Relinquitur ergo quod dicatur caput omnium malorum propter malitiae perfectionem. Vnde super illud secunda ad Thessal. 2. Ostendens se tanquam sit Deus, dicit glossa. Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo omnis malitiae plenitudo: non quidem ita quod humanitas eius sit assumpta à diabolo in unitatem personae, sicut humanitas Christi à filio Dei: sed quia diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo, quam omnibus alijs. Et secundum hoc omnes alij mali qui præcesserunt, sunt quasi quedam figura Antichristi, secundum illud 2. ad Thessal. 2. Mysterium iam operatur iniquitatis.

**D** Ad primum ergo dicendum, quod diabolus & Antichristus non sunt duo capita, sed vnum, quia Antichristus dicitur esse caput, in quantum plenissime inuenitur in eo impressa malitia diaboli. Vnde super illud secunda ad Thessal. secundo: Ostendens se tanquam sit Deus: dicit glossa. In ipso erit caput omnium malorum, scilicet diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiae. Non autem dicitur in eo esse per vniorem personalem: nec per intrinsecam operis inhabitacionem (quia sola Trinitas menti illabitur, vt com. 3. dicitur in libro de ecclesiast. dogm. +) sed per malitiae effectum.

**Ad secundum dicendum, quod sicut caput Christi est Deus, & tamen ipse est caput Ecclesie (vt supra dictum est) ita Antichristus est membrum diaboli, & tamen est caput malorum.**

**E** Ad tertium dicendum, quod Antichristus non dicitur caput omnium malorum propter similitudinem influentiae, sed propter similitudinem perfectionis: in eo enim diabolus quasi malitiam suam ducit ad caput, per modum, quo dicitur aliquis ad caput suum propositum ducere, cum illud perfecerit.

## COMMENTARIVS.

**R**espondet D. Tho. Antichristum posse dici caput solum quoad perfectionem, & abundantiam malitiae. Vbi statim occurrit inquirendum, quomodo possit hoc esse verum respectu demonum. Propter Dubium. Caier. dicit in hoc titulo nomine omnium malorum intel.

**a** Respondet dicendum, quod sicut supra dictum est, caput non solum interius influit membris, sed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo potest dici aliquis caput alius multitudinis, vel secundum vtrumque, scilicet secundum interiore influentiam, & exteriori gubernationem: & sic est Christus caput Ecclesie, vt dictum est. \* Vel secundum solam exteriori gubernationem: & sic quilibet princeps vel praelatus est caput multitudinis sibi subiectae. Et per hunc modum dicitur diabolus, caput omnium malorum: nam vt dicitur Iob. 41. Ipse est Rex super vniuersos filios superbiae. Pertinet autem ad gubernatorem, vt eos, quos gubernat, ad suum finem adducat: finis autem diaboli est auersio rationalis creaturae à Deo: vnde & à principio hominem ab obedientia diuini precepti remouere tentauit. Ipsa autem auersio à Deo, habet rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis: secundum illud Hic. 2. A seculo confregistis iugum, rupistis vincula, & dixistis, non seruam. In quantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, sub diaboli regimine & gubernatione cadunt: & ex hoc dicitur eorum caput.

**Ad primum ergo dicendum:** quod licet diabolus interius non influat rationali menti: tamen suggerendo inducit ad malum.

**Ad secundum dicendum,** quod gubernator non semper suggerit singulis subiectis, vt sua voluntati obediant, sed proponit omnibus signum suae voluntatis: ad cuius sequelam aliqui excitantur inducitur, alij propria sponte. Sicut patet in duce exercitus, cuius vexillum sequuntur milites, etiam nullo persuadente. Sic igitur primum peccatum diaboli, qui ab initio peccat, vt dicitur 1. Ioannis 3. propositum est omnibus ad sequendum: quod quidam imitantur per suggestionem ipsius, quidam propria sponte absque vlla suggestione: Et secundum hoc omnium malorum caput est diabolus, in quantum ipsum imitantur: secundum illud Sap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

**Ad tertium dicendum,** quod omnia peccata conueniunt in auersione à Deo, licet ad inuicem differant, secundum conuersionem ad diuersa commutabilia bona.

## COMMENTARIVS.

**H**ic, & sequens articulus tantum per occasionem à D. Thoma positi sunt, & ideo præter ea, quae ad mentem eius intelligendam pertinent, nihil de re ipsa disputabo. Caietanus ergo circa finem articuli sequentis non bene exponit hunc titulum, dicit enim nomine diaboli hoc loco non intelligi aliquem singularem Angelum malum, scilicet Luciferum, sed totum ordinem diabolicum, & consequenter nomine omnium malorum tantum intelligi homines malos, quia articulus sequens ita necessario intelligendus videtur, & de eisdem malis est sermo in vtroque, vt ex contextu patet.

**Quid no-**  
**mine dia-**  
**boli D. Th.**  
**intelligat.**  
**Sed mihi non videtur vlla verisimile, sed Diuum Thomam loqui de principe demoniorum, qui per antonomasia solet in scriptura vocari, diabolus, eūque comparare ad omnes malos tam demones, quā homines: omnium enim est caput, quia omnes superat malitia, & omnes aliquo modo ad peccatum induxit, vel per se vel per alios, vt traditur partim in 1. p. quæst. 63. artic. 8 & quæst. 109. & 114. partim in 1. a. quæst. 80. propter quod Princeps huius mundi dicitur, Ioan. 12. & 14. & hic sensus aperte colligitur ex argumento secundo cum solutione, vbi D. Thom. declarat, quomodo diabolus fuerit causa peccandi & demonibus, & hominibus. Cætera, quæ hic dici possent de modo: quo demon est causa peccandi alij, in citatis locis tractanda sunt, & videri potest Greg. 32. mor. c. 24. & 25. & Cassian. collat. 8.**

## COMMENTARIVS.

**R**espondet D. Tho. Antichristum posse dici caput solum quoad perfectionem, & abundantiam malitiae. Vbi statim occurrit inquirendum, quomodo possit hoc esse verum respectu demonum. Propter Dubium. Caier. dicit in hoc titulo nomine omnium malorum intel.



intelligendos esse solos homines, quia fieri, inquit, non potest, ut Antichristus malitia superet dæmones, cum illi sint ita obstinati in malo, ut nec cōuer-  
ti possint, nec bene operari. Antichristus autem fu-  
turus sit viator. Quæ ratio (si quid valet) etiam pro-  
bat, neque omnes malos homines posse in hoc titu-  
lo intelligi, quia etiam damnati homines habēt vo-  
luntates obstinatas, sicut dæmones. Ratio ergo inef-  
ficax est, quia licet probeat ratione status, damnato-  
rum statum excedere in malitia statum, & c. cuiusli-  
bet viatoris: tamen in intentione, vel multitudine  
malitiæ superare interdum potest viator damna-  
tum. Et ideo probabile videtur hunc articulum in-  
telligi de omnibus malis, etiam cōprehendēdo dæ-  
mones præter Luciferum, ut titulus huius articuli,  
& præcedentis eodem modo intelligantur: tum et-  
iam quia ita D. Tho. innuat in solutionibus argu-  
mentorū, ubi dicit Antichristum esse quasi prima-  
rium membrum diaboli, & caput aliorum malo-  
rum. An verò hoc ita sit, incerta res est. Sed de Anti-  
christo integra disputatio tradenda est infra in fine  
huius materiæ, ubi de secundo Christi aduentu dis-  
putabimus.

Responsio.

Quæri verò hic potest, an Adam possit etiam vo-  
cari caput malorum hominum: sed non oportet in  
hoc immorari, nō est tamen ita vocandus, quia nec  
malitia superat alios, nec ex directa intencione sua a-  
lios ad malum inducit, sicut dæmon.

### QVÆSTIO IX.

De scientia Christi in communi, in quatuor  
articulos diuisa.



Emde considerandum est de scientia Christi.  
Circa quam duo consideranda sunt. Primum,  
quam scientiam Christus habuerit: secundum,  
de vnaquaque scientiarum ipsius.

Circa primum queruntur quatuor.

Primum, utrum Christus habuerit aliquam scientiam præ-  
ter diuinam.

Secundo, utrum habuerit scientiam, quam habent Beati  
vel comprehensores.

Tertio, utrum habuerit scientiam inditam vel infusam.

Quarto utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

Post tractatum de gratia aggreditur D. Th. tracta-  
tum de scientia animæ Christi, quem ab hac vsq[ue]  
ad qu. 12. persequitur, & in hac quæstione, agere pro-  
ponit in communi de hac scientia tamen in discursu  
eius tractat quæstionem, an est, de huiusmodi sci-  
entia tam in communi quàm in particulari in se-  
quentibus verò quæstionibus, de singularum scienti-  
arum perfectione disputat.

### ARTICVLVS I.

Utum Christus habuerit aliquam scientiam præter  
diuinam.

64.  
q. d. 14. art. 1.  
1 q. 1. art. 1.  
9. 10. art. 2.  
Op. 3. c.  
223.

**A**d primum sic proceditur. Videtur quod in Chri-  
sto non fuerit aliqua scientia præter diuinam.  
Ad hoc enim necessaria est scientia, ut per eam a-  
liqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam diuinam co-  
gnoscebat omnia: superfluum igitur fuisset, quod in eo esset a-  
lia scientia.

2. Præterea, Lux minor per maiorem offuscatur: Sed omnis  
scientia creata comparatur ad scientiam Dei creatam, sicut  
lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit alia sci-  
entia, quam diuina.

q. 2. art. 2.

3. Præterea, Vnio humane nature ad diuinam, facta est in  
persona, ut ex supra dictis patet. Ponitur autem in Christo

secundum quosdam quadam scientia vnionis: per quam sci-  
licet Christus ea, quæ ad mysterium incarnationis pertinent,  
plenius sciuit, quam aliquis alius. Cum ergo vnio personalis  
contineat duas naturas, videtur quod in Christo non sunt  
duæ scientiæ, sed vna tantum scientia pertinet ad vtramq[ue]  
naturam.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit in libro de Incarnat.  
\* Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, sus-  
cepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum. Sed ad  
sensum hominis pertinet scientia creata. Ergo in Christo fuit  
scientia creata.

a. Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, \* Fi-  
lius Dei humanam naturam integram assumpsit, id est, non  
solum corpus, sed etiam animam: non solum sensitiuam, sed  
etiam rationalem. Et ideo oportuit, quod haberet scientiam

B creatam propter tria. Primum quidem propter anima perfe-  
ctionem. Anima enim secundum se considerata est in poten-  
tia ad intelligibilia cognoscenda: est enim sicut tabula, in qua  
nihil est scriptum, & tamen possibile est in ea scribi per intel-  
lectum possibilem, in quo est omnia fieri, ut dicitur in tertio de  
Anima. \* Quod autem est in potentia, est imperfectum, in se re-  
ducatur ad actum. Non autem fuit conueniens, quod Filius  
Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfe-  
ctam, ut potest, qua mediante, totum humanum genus ad per-  
fectum erat reducendum. Et ideo oportuit, quod anima Chri-  
sti esset perfecta per aliquam scientiam, qua esset propria per-  
fectio eius. Et ideo oportuit in Christo esse aliquam scientiam  
præter scientiam diuinam, alioquin anima Christi esset im-  
perfectior animabus aliorum hominum. Secundo, quia cum  
qualibet res sit propter suam operationem, ut dicitur in secun-  
do de Cael. \* frustra haberet Christus animam intellectualem  
si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scienti-  
am creatam. Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet  
ad animam humanam naturam, scilicet, illa, per quam natura-  
liter cognoscimus prima principia: scientiam enim hic large  
accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Nihil  
autem naturalium Christo defuit: quia totam humanam  
naturam suscepit, ut supra dictum est. \* Et ideo in sexta sy-  
nodo damnata est positio negantium in Christo esse duas sci-  
entias, vel duas sapientias.

C Ad primum ergo dicendum, quod Christus cognovit omnia  
per scientiam diuinam operatione increata, quæ est ipsa Dei  
essentia: Deienim intelligere est sua substantia, ut probat  
Philosophus 12. Metaphy. Vnde hic actus non potuit esse ani-  
ma humane Christi cum sit alterius nature. Si igitur non fu-  
isset in anima Christi aliqua alia scientia præter diuinam, ni-  
hil cognouisset: & ita fuisset frustra assumpta, cum omnium  
sit propter suam operationem.

Ad secundum dicendum, quod si duo lumina accipian-  
tur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen  
solis offuscatur lumine candele: quorum vtrumque accipitur  
in ordine illuminantis. Si verò accipiantur duo lumina, ita  
quod maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine il-  
luminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed ma-  
gis augetur: sicut lumen aeris per lumen solis. Et hoc modo lu-  
men scientiæ non offuscatur, sed magis clarescit in anima  
E Christi per lumen scientiæ diuinæ, quæ est lux vera illuminans  
omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicitur  
Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quod ex parte vnionis ponitur  
scientia in Christo, & quantum ad naturam diuinam, &  
quantum ad humanam: ita quod propter vnionem, secun-  
dum quam est eadem hypostasis Dei & hominis, id quod est  
Dei attribuitur homini, & id quod homini, attribuitur Deo,  
ut supra dictum est. \* Sed ex parte ipsius vnionis non potest  
poni in Christo aliqua scientia: nam vnio illa est ad esse per-  
sonale, scientia autem non conuenit persone nisi ratione ali-  
cuius nature.

COM-